

se possint. *Vulgata* verò pluralem retinuit. Cæterum vocabulum *קִנְיָן* significat in genere penetrale seu conclave interius, in quo seu tuto vivitur, sive tantum secreto: ut ex 2. *Sam. IV*, 7. de Isboetho; & 2. *Reg. VI*, 12. de rege Syriæ patet. Unde *penetralia Austri* vocatur etiam illud spatium metaphoricè, seu locus stellarum, quem Septentrionales ne videre quidem possunt. Confer *Dn. Sebastianum Schmidium* in Notis ad Jobi cap. IX, 9. ubi ex *Aben-Esra* & aliis hanc sententiam adduxit. In specie, ut cætera significata à *B. Oleario* congesta expos. *Biblic. ad Cant I*, 4. præterea- mus, notat locum destinatum quieti, tum viventium; *Jud. XV*, 1. *Joëtis II*, 16. tum morientium. *Proverb. VII*, 27. & h. l. Comparatur autem status mortis cubiculo (1.) quia, perinde ac cubiculorum interiora, viventium oculis non patet. Confer *Jacob. Dürrfeldum*, in *Exeg. Cant. Cantic. Cap. I*, 4. neque potest furore hominum invidorum perturbari, *Sap. III*, 1. *Matth. X*, 28. (2.) quia sicut laboribus defatigati in cubiculis edormimus, sic & vitæ molestiis defessi, quietem amœnissimam carpimus in morte. *Apoc. XIV*, 13. Unde in sepulcris amœnissima cubilia reposita veteribus fuisse, docet ex *II. Chron. XVI*, 14. *Ravanellus* *Biblioth.* p. 394. & mors ipsa somno comparata, *Joh. XI*, 11. & tritum illud apud *Alstedium* in *Lexico Theologico* p. 422.

*Somnus ut est mortis, sic lectus imago sepulcri.*

Imò *Kirchmannus* l. 3. de funeribus Romanorum c. 9. p. 256. ostendit, ipsis quoq; Ethnicis sepulcra dicta fuisse *requietoria*, producens, tum veterem inscriptionem, tum locum ex *Ciceronis* lib. I. *Tusc. quæst.* Qui titulus tamen fidelium Christianorum sepulcris longè convenientior est. Nec ignotus est titulus *κοιμητήριον* apud *Alstedium* l. c. metaphora sine dubio ab antiquis ritibus desumpta. Refert enim *Athenæus* Lib. 4. de conviviis Cretensium, quod apud eos certa conclavia fue-